

**A fructu frumenti, vini et olei sui, multiplicat sunt.**

**In pace in idipsum dormiam, et requiescam.**

**Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Gloria.**

*Psaume 133.*

**In te, Domine, speravi, non confundar in æternum ; in tuâ justitiâ libera me.**

**Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.**

**Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias.**

**Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu : et propter nomen tuum deduces me et enutries me.**

**Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi ; quoniam tu es protector meus.**

**In manus tuas commendabo spiritum meum : redemisti me, Domine, Deus veritatis.**

**Gloria Patri, et Filio, etc.**

*Psaume 90.*

**Qui habitat in adjutorio Altissimi ; in protectione Dei cœli commorabitur.**

**Dicit Dominus : Susceptor meus es tu, et refugium meum ; Deus meus, sperabo in eum ;**

**Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et à verbo aspero.**

**Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis.**

**Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno.**